

die quadam & resurrectionis fidem, & Judaeum hujus ossis virtutem ostentantem irridens, verum ne assereret, experimento tentari voluit. Os igitur molae suppositum, deinde in flammam projectum, denique in incende percussum incolu inde semper evasit. Circum os istud, addunt, caeterae corporis partes in resurrectione coibunt; quare veluti novae earum copulationis centrum se praestiterit, seu, ut quidam fert Rabbini, veluti fermentum, quod caetera corporis membra in pulverem soluta iterum restituet; denique veluti tritici semen, quod terrae mandatum, frumentum progignit. Hoc Hebraeorum commentum, quod eorum satis praefert levitatem, serid refellere supervacaneum. An os istud extiterit, nemo unquam probavit.

Authores iidem de tempore, quo anima corpori iterum copulabitur, quaestionem instituant, an nempè id fiet corpore adhuc in sepulchro jacente, an inde egresso, & in priorem statum restituito? Animam plerique (f), corpori non nisi organis perfectè jam instructo sese iterum adjuncturam defendunt. Quod satis apud Ezechielem innuitur (g): *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris... cum aperuero sepulchra vestra, & educero vos de tumulis vestris, & dederò spiritum meum in vobis, & vixeritis.* Si verò tota simul & in momento resurrectio fiet, ut jam praetulimus, quaestio hæc prorsus inanis.

Reginam Cleopatram ferunt quondam à Meir Rabbino postulasse, an mortui nudi, an vestibus amicti resurgerent (h). Cui ille, sicut granum tritici nudum terræ mandatum, pluribus integumentis indutum resurgit, ita mortuos vestibus instructos è sepulchro prodituros respondit. Has vestes eisdem putabant, quibus cadavera sepulchro inferuntur (i), quod & per vestes probant, quibus amictum sese Samuel Pythonissæ exhibuit (k). Inde factum est, ut Rabbini potiores pulcherrimis vestibus indutos se tumulari iusserint. Ut plurimum indumentis albis ornabantur, quæ lætitiæ & solemnitate designant. Deus itaque vel iis vestibus, quibus mortui in sepulchrum illati fuere, vel recens creatas eisdem impertiet. Cur tamen hæc vestes? An ut à frigore, vel calore vindicent; vel ut nuditatem operiant; vel ut corpora ita venusta & pellucida exornent? Minime profectò. Nudi igitur omnes resurgent. Cum verò Judæi mille annorum in terris regnum delictis omnibus, & voluptatibus cumulatum post resurrectionem opperirentur, mirum non fuerit, si homines redivos vestibus instructos inducerent.

I Vid. Rab. Mosen, & Rab. Mosen Gabay. Talmud. apud Menasse Ben-Israel, l. 2. c. 9. de Resurrectione.

nil tunc in eâ incultum aut impervium, sed omnia plana, omnia feracia, omnia incolatui accommoda. Quare sat erit orbis, ut domicilium iis omnibus praestet, qui eâ fruituri felicitate vitæ restituentur. Paria vel simillima respondisse etiam Mil-lenarios credere par est.

Metempsychosis, cui Judæorum plurimi adhæserunt, & omnium & singulorum resurrectioni repugnat. Cum enim anima una in plures justos successivè transmigraverit, quomodo omnes iterum animare valeat? vel fortè huic rursus adhæreat, & caeteros praetermittat? An primum animaverit, an secundum, an denique illum, qui praeter ceteris resurrectionem meritis fuerit? Quidam primum (m), quidam ultimum ex suis corporibus assumpturam putant (n); quare alia corpora, quæ antea animaverat, velut arbores infructiferae in medio agri desertæ habebantur. Quamlibet Animam in tria saltem corpora transmigrare iidem consent, ut qua primò vi-tiatum corpus nata fuerat, perfectius aliud nascitici valeat: quæque per primum offensis Deum affecerat, per secundum sibi veniam conciliet. Hæc verò metempsychosis sententia vulgè & ab Hebraeis, & à Catholicis rejicitur; quare in absurdis, quæ hinc oriuntur, refutandis non immoramur.

Plurima adhuc de hominum post resurrectionem statu inquiruntur; quæ nempè eorum futura sit natura, quæ ætas, quæ statura, qui sexus: an naturalibus suis vitis obnoxii; an integræ, an decrepitæ, an eâ resurrecturi sint ætate, quæ cuique fuerat, cum decessit; an denique monstra & infantes iidem affecti incommodis ad vitam revocandi sint? Ad harum difficultatum plerasque solvendas nec satis in Scriptura, nec etiam quibusdam solvendis satis est rationem consuluisse. Verumtamen, quæ apud ab Authores meliora, hæc recensimus. Ipso Christo teste [o], Justorum corpora erunt sicut Angeli Dei; Paulus (p) immortalia, & incorruptibilia, & Patres vulgè gloriâ undique coruscantia, agilia, pellucida fore asseverant. Præter hæc, certi ferè nihil.

Quorundam errorem, qui, ut post resurrectionem corporeis oculis Deum videntum probarent, carnem in Dei substantiam tunc reformandam, atque ab ea aliquo modo sic divinitate donata Deum sensibili modo aspiciendum, defendebant, hunc & contemnit, & optimè refellit Augustinus [g], qui etiam alibi (r) aliorum opinionum refert, qui, ut nimium extollerent, videbantur resurrectionis veritatem evertere, corpora in spiritum convertenda, & ab iis Deum corporeis oculis videntum asserentes. Corpus quidem spirituale nobis spondet Scriptura, non verò corporis substantiæ in substantiam spiritus conversionem (s). Nostra utique resurrectio Christi resurrectioni non praestabit; Christus verò corpus verum, palpabile, carne & ossibus compactum Apostolis suis post resurrectionem videntum, & tangentum exhibuit (t).

Beatorum corpora, inquit Christus (u),

m Abarbanel apud Menasse Ben-Isr. l. 2. c. 8. de resurrectione. n Rab. Hiskiab. in Zohar.

o Matth. 22. 30. p. 1. Cor. 15. 53.

q Aug. Epist. olim 6. nunc 92. n. 5. r Idem Epist. 147. c. 21. & Ep. 205. n. 10.

s 1. Cor. 15. 44.

t Luc. 24. 39. u Matth. 13. 43.

fulgebunt ut sol, & tanto nitore donabuntur, ut ad Dei lucem proximè accedant. Reformabit (x) corpus humilitatis nostræ figuratum corpori claritatis suæ. Et alibi (y): *Nos omnes revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* S. Augustinus (z) corporum beatorum vigorem cum radiorum visuum activitate confert, qui juxta veteres Philosophos, objecta ad nostros oculos deferunt, vel à nostris oculis ad objecta summâ celeritate rapiuntur. Eadem penetrandi virtute & agilitate beatorum corpora donabuntur; & sicut Jesu Christi corpus post resurrectionem clausis foribus Apostolorum cœnaculum ingressus est; ita gloriosa corpora, nullâ re eorum virtuti obistente, secretiora & prorsus impervia loca pervadent.

Docent Hebraei (a), Animam beatitudine jam donatam & à corpore secundam, superiori, à quo maximè decoratur, & penitentiâ pervaditur, lumine nitere; cum verò in resurrectione corpori rursus copulabitur, lumine, quo ipsa fulgebit, corpus omne ita illustrandum, ut membra omnia, Cæli instar, effulgeant: *Fulgebunt (b) quasi splendor firmamenti... & quasi stella ad perpetuum æternitates.*

Quidam, Augustini ætate (c), homines vitis suis corporalibus obnoxios resurrecturos esse sentiebant; sicut etiam Christus cum suis manum, pedum, & lateris cicatricibus resurrexit. Qui tamen Clarissimus Doctor à quolibet corporis incommodo prorsus immanes ad vitam fore revocandos statuit; si verò Christus sibi reservavit cicatrices, hoc, addit, potestatis fuit, non necessitatis; eas enim deleri noluit, ut Discipulorum incredulitatem convinceret, & ad gloriæ fux incrementum conferret. Alibi etiam justos sine corporis vitis, gravitate, infirmitate, & cujuslibet indigentia expertes resurrecturos testatur (d).

Hebraeorum Doctores vetustissimi (e) iidem staturâ, temperamento, qualitibus, & corporis pravitatibus mortuos esse vitæ restituendos sentiebant. Quare de eorum sententia qui antea cæcitate, tristitiâ, gradiendi debilitate laboraverant, cæci, tristes, claudii resurgent; Deus verò deinde eos incolomitatam restituet, & statu longè feliciori donabit. Quam opinionem fulciunt illo Ecclesiastæ (f): *Generatio præterit, & generatio adventi; & Pythonissæ visione, cui figurâ eadem, & iidem vestibus, quibus antea vivens utebatur, senex Samuel se exhibuit (g).*

Isaias resurrectionem memorans, corporis vitia tunc à Deo abolenda insinuat (h): *Dicam Aquiloni: Da; & Austro, Noli prohibere: affer filios meos, & filias meas... Educam foras populum cæcum, & cæco videt; surdum, & aures ei sunt.* Deus igitur eorum cæcitate, vel surditatem avertet. Quod tamen donum in Justos tantummodò conferetur; reprobi verò suis deformitatibus æternum laborabunt. Quæ quidem juxta eorum principia illi enunciant; putant enim se iterum vitam in-

terris traducturos, ubi suæ quisque Tribui adjunctus bibet, comedet, & ducet uxorem: necesse est igitur eo statu donentur, quo sibi commoda omnia & pergrata contingant. Cum verò nos principis ab Judæorum doctrina longè aliis nitamur, & eorum sententis subscribere, & eorum de corporum post resurrectionem statu explorationibus uti minimè cogimur.

Increduli & Ethnici, S. Augustini ætate (i), plures de Infantium resurrectione implexas quaestiones instituebant. Postulantes à Catholicis, quomodo infantes resur-recturi essent, urgebant: Si integrâ ætate resurgent, ii sunt futuri, qui nunquam fuerunt; neque idem ita erit homo, qui decesserat, ac ille, qui resurget. Si pueruli, infirmi, informes, ac iidem, qui in Matris utero vel in primo nativitate momento fuerant, reviviscunt; quam voluptatem, quam gloriam, quam felicitatem, percipient? Nonne nunquam in lucem prodidisse, quam humili adeo atque demisso statu deprimi, illis expedivisset?

An infantes ad vitam revocati suam corporis exilitatem servaturi sint, quod certi nil Scriptura asserat, nec Augustinus decernit. Eorundem verò resurrectionem statuit, verosimilisque ducit & integrâ ætate & corpore integræ ætati accommodo resurrecturos. *Credibilis plenas ætates resurrecturas, ut reddatur munere, quod accessurum erat tempore.* Eto etiam, subdit, in infantia statu reviviscerent: anne proinde infirmitate, & turpi corporis vitio laborabunt? Deest ne venustas, quæ infantiam deceat? Deus per maximam in corpus exile gloriæ lucem conferre non valeat? Postremò, concludit, *corruptionem tolle, & quod vis adjice.* Alibi etiam (k) de infantibus agens, qui antequam egrediuntur in lucem, decedant, neminem inquit asserturum per resurrectionem redivivis corporibus non esse tribuendum quidquid perfectionis per ætatis incrementum iidem advenisset; sicut etiam per eandem non esse adimendum, quidquid vitiatum corpori accessisset: *Ut non deest perfectio, quæ accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ accesserunt tempore.*

Iis, qui parvulos in matris utero anima tantum sensitivâ & vegetativâ, non verò rationali animatos esse putant (l); de eorum post resurrectionem statu nil penitus investigandum; cum enim nunquam fuerint animâ instructi, neque inter homines sunt recensendi, neque capropter in vitam restituendi. Cum verò postquam corpus saltem organum instructum fuerit, ab anima rationali animari vulgè sentiant; necesse est & hi pueruli cum cæteris reviviscant: quibus vel Deus, qui ne crimem quidem capitis nostri periturum spondit, promptè satis eam, ad quam vivendo pervenissent, staturam impertietur; vel quod in iis jam adumbratum est, perficiet; vel quod in eisdem contractum latet, explicabit; vel denique angustam, quam exhibent, effigiem in extensum pro-

i Vide Aug. ser. 147. nunc 242. c. 3. n. 4. & Ep. 167. edit. nov. & lib. 22. de civ. vit. c. 14.

k Aug. Enchirid. de fide, spe, & charitate c. 8. & l. 2. de Civit. c. 13.

l Bereschebit. Rab. Parasche. 34. Talmud. Parasche. Pini-de & Nida c. 3.

x Philipp. 3. 21. y 2. Cor. 3. 18. z Aug. serm. 277. n. 12.

a Rab. Levi Mitzas Han-ebelam.

b Daniel. 12. 3.

c Aug. serm. olim 147. nunc 242. n. 3. 2. & serm. 140. c. 3.

d Aug. Enchirid. ac Fide, Spe, & Charitate c. 91. e Bereschebit Rabba Parasche. 35. Gemar. Sanhedrin. & Jalkut Rabbati. & Eccl. 1. 4.

g 1. Reg. 28. 14. h Isai. 43. 6. &c.

ducet. Creatori, qui creavit cuncta de ni-
bilo, quomodo deesse possit, unde adderet,
quod addendum esse miris artifex nosset? ait
Augustinus (m).

m Aug. l. 22.
de Civit. c. 14.
n Vid. August.
l. 12. de Cris-
tate, c. 15. &
seq. A. Jelm.
D. Thom. hic.
& Hieronym.
in Epitaph.
Paula c. 12.
Est. alii.

Veteres plures & Recentiores (n) iis
Pauli verbis innixi, Donec occurramus om-
nes in virum perfectum, in mensuram a-
tatis plenitudinis Christi, homines eâ aetate
resurrecturos asseruere, quae Dominus nem-
pe 33. seu 37. circiter annos natus, obiit;
quare Infantes excreverunt, decreverunt se-
nes, ut omnes in mensura aetatis plenu-
dinis Christi constituantur. Apostolus, ait
Augustinus, nos ad aetatem quidem, non ad
Christi staturam perventuros testatus est:
aliter qui Christo staturâ praestitissent,
aliquid illis esset detrahendum, quod pro-
fecto Domini promisso repugnare videtur,
qui Discipulis suis ne eorum quidem cri-
nem periturum spondit; non verò nec
aetatis nec aliquid staturae se cuiquam addi-
turum asserit.

Hac interpretatio, vulgò licet obtinens,
nihilominus difficultate non caret. Graeci
(o), & Latini plures (p) eundem Pauli
locum aliter explicant. Ipse Augustinus
(q), S. Hieronymus (r), & D. Thomas
aliâ quidem viâ progredientes, in Graeco-
rum sententiam deveniunt; nempe illum
de Fidelibus interpretantur, qui Evange-
lii Praeconum ope in Fide, & in virtute
ita progrediuntur, ut ad perfectam a-
tatem, nempe ad virum, vigoris, & per-
fectionis spiritualis statum perveniant.

Et monstra quidem resurrectura cer-
tò scimus, quae tamen Deus à corporis vi-
tio vindicabit: Nec resurrectura negabun-
tur; nec ita resurrectura sunt, ac non po-
tius correctâ emendatâque naturâ (s). Quid-
quid morti obnoxium est, quidquid ho-
mo est, vita est restituendum. Si mon-
strum geminum fuerit, & animabus gemi-
nis imbutum, duo homines & quidem se-
juncti resurgent; si animâ unâ solummo-
dò instructum, unus tantum homo revivi-
scent. Hermaphroditum eum, qui sibi potior
fuerit, sexum assument. Vel propter pro-
ceritatem, vel propter exilitatem monstro
similes ad perfectam mensuram redigentur.
Si vas institui coepit vel fortè frangitur,
vel aliter perit, figulus eandem argillam
iterum miscens, novum inde vas perfe-
ctum, & formosum excitat. Quod in pri-
mo vase supererat, hic excedebat, hic de-
erat, in secundo utrinque equâ proportio-
ne distribuitur; quare quod ad ejus de-
formationem antea, postea confert ad venu-
statem. Ita, proportione servatâ, in cor-
porum resurrectione fiet. Ex partibus sin-
gulis velut in massam unicam fusis, id
quod uni lateri superest, alteri deficienti
Deus ita impertiet, ut in quolibet corpo-
re perfectus ordo eluceat. Nulla, inquit
Augustinus, ibi erit difformitas, ubi & quae
prava sunt corrigentur, & quod minus est
quàm decet, unde Creator novit, inde sup-
plebitur. Et quod plus est quàm decet, ma-
teria servatâ integritate detrahetur (t).

t Aug. l. 22. c.
19. de Civit.

o Chryso-
stom. Theophyl. Oc-
cumen.

p Ambrosiast.
Haymo, Saf-
bold. alii plu-
res.

q Aug. l. 22.
de Civit. c. 18.
r Hieronym. in
Ephes. 4. 13.

s August. En-
chirid. de fide
spe, & chari-
tate. c. 85. Vide
& l. 22. de
Civit. c. 19.

reclari sint, non inquirimus (u): Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habi-
tudo, aut pulchritudo, quorum erit certa &
sempiterna damnatio. Frustrâ etiam nobis
objicimus, eorum corpus fore corruptibile, si
doloribus sit obnoxium, & unâ fore incor-
ruptibile, si sit mortis immune. Quae
enim ea incorruptio, quae assiduis semper
que innovatis doloribus afficitur? quae ea
fuerit vita, quae omnibus prorsus calami-
tatibus semper obruitur? Non est enim ve-
ra vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec ve-
ra incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore
corrumpitur. Incorruptio, robor, & e-
orum corporum integritas ad poenarum in-
crementum conferent: incorruptibiles &
immortales vivent, ut perpetuò morian-
tur. Resurgent incorrupti integritate mem-
brorum, sed tamen corrumpendi dolore poe-
narum (x).

D. Fulgentius (y) improborum corpora
non esse immutanda, & eam immutatio-
nem, de qua Paulus (z), Et nos immu-
tabimur, ad Justos tantummodò pertinere
putavit. Impii quidem, addebat, ut Justo
resurgant, at in ea felicissima innovatio-
ne nullam partem obtinebunt. Eadem,
quam à nativitate duxerant, infirmitate
& corruptione afficientur; idè nihilomi-
nus à tormentorum vi non interficientur,
ut eorum poenis diutius obruantur. Ver-
mis, quo vorabuntur, non occumbet; ignis,
quo adurentur, non extinguetur; à quo
etiam igne velut quodam sale perfunden-
tur, ut aliquatenus incorruptibiles evadant
(a): Omnis enim igne salietur, & omnis
victima sale salietur.

In eam sententiam venit cum S. Au-
gustino S. Fulgentius, quòd uterque
incorruptibilitatem & poenam sese invicem
repellere autumarent. Nos verò tum utram-
que sibi motu prorsus adversari nolumus,
cum dolor soli animâ infideat. Animam,
doloribus licet obnoxiam, naturâ immor-
talem scimus. Quis verò avertat, quomi-
nus corpori incorruptibili junda, ex iis,
quae corpus afficiunt, dolorem exhauriat,
quamvis inde corpus mortem non sit con-
tracturus? Sunt mala quaedam, v. g. poda-
gra, dentium dolor, quibus anima permaxi-
mè torquetur, quamvis ab iis corpus minimè
interimendum compertum habeat.

Diù apud Catholicos disceptatum, an
foeminae in resurrectione proprium sint
sexum mutaturae. Veterum (b) plures af-
firmarunt, eo potissimum ducti, quòd di-
xerit Paulus (c): Donec occurramus omnes
in virum perfectum, in mensuram aetatis
plenitudinis Christi. Alibi etiam (d):
Quos Deus praedestinavit conformes fieri imagi-
nis Filii sui; quòd etiam asseruerit Chris-
tus (e): In resurrectione neque nubent, ne-
que nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.
Huic sententiae favent praeterea quaedam
Theologorum, & Philosophorum argumen-
ta; v. g. virum tantum è terra fuisse
eductum, foeminam autem è viro. Ad-
dit celeberrimus Scotus, foeminam esse
viri accidens; & non nisi viri occasio-
ne progenitam. Naturam semper ad
virum procreandum intendere, aliquan-
do

x Aug. Ep.
126. n. 15.
nov. Edit. &
ser. 362.
y Fulgent. l.
de Fide ad Pe-
trum c. 3. n.
37.
z 1. Cor. 15.
32.

a Matth. 9. 48.

b Origen. in
Matth. 23. 30.
Hilar. & Hiero-
nym. in eun-
dem locum.
Basil. seu alius
in Psal. 114.
Albanas. ser.
3. contr. Arian.
alii apud Au-
gust. l. 22. c.
17. de Civit.
c. Ephes. 4. 13.
d Rom. 8. 29.
e Matth. 23.
30.

do verò vel generantis, vel concipientis
vitio invitam foeminas producere. Hac
majoris momenti argumenta.

† Tertull. de
Resurrect.
carn. c. 60. 61.
g Hier. Epi-
taph. Paul.
& Epist. ad
Pammachium
contr. errores
Joann. Jerosol.
h August. l. 22.
de Civit. c. 17.

Tertullianus (f) verò, Hieronymus (g),
Augustinus (h) & Theologorum plerique,
foeminam putant aequè ac virum perfe-
ctam, à Creatore instar viri primò in-
tentam; creaturam Dei esse ad generis hu-
mani propagationem necessariò constitu-
tam, denique à naturâ seu vitio, seu mon-
stro longissimè abesse. Non est enim, ait
Augustinus, vitium sexus famineus, sed
natura. Porro si foemine originem animad-
vertamus, ipso viro aliquatenus perfe-
ctiorem inveniemus; vir enim è terra
tantum eductus, foemina verò ex ip-
sius viri substantia. Inane est objicien-
do inquirere, ad quid sexus varietas
post resurrectionem conducet? aliter ne-
cessè foret, ut & à viro suum sexum
immutandum enunciaremus: quae sanè
illatio ipsius objicientis menti adversa-
rerat.

Procul tunc erunt nuptiae, generatio,
& conjugii in uxorem potestas. Sicut
Angeli Dei erimus, morborum, indigen-
tiae, pudoris, & concupiscentiae expertes.
Primos nostros Parentes in horto Edem
nuditate non pudebat, quòd integerrimâ
innocentiâ, decorarentur. Ita profectò &
Beatis in Caelo continget, qui mentis
acie in Dei Magnitudinem, Sapientiam,
Bonitatem prorsus attentâ, puritate & in-
nocentiâ longissimè perfectiori ditabuntur.

Ex eisdem Jesu Christi verbis, In re-
surrectione neque nubent, neque nubentur,
Hieronymus (i) argumentum ducit, quo
sexus diversitatem tunc futuram conclu-
dat: Non enim, inquit, de lapide, & li-
gno dicitur: non nubent, neque nubentur,
quae naturam nubendi non habent; sed de
eis, qui possunt nubere. Tertullianus, quòd
Christus omnibus hominibus resurrectio-
nem promiserit, eandem probat senten-
tiam: Cùm enim, ait, integer homo re-
surrecturus dicitur, excitandus promittitur
omnibus omnino membris instructus; quae
quamvis ei, cui nunc conferunt, usui
inutilia, ad corporis nihilominus venusta-
tem, & integritatem necessariò postula-
buntur. Eadem ferè occurrunt in Quae-
tionibus ad Orthodoxos, Justini Martiris no-
mine inscriptis (k), & apud Gennadium,
in Tractatu Ecclesiasticorum dogmatum, S.
Augustini Operibus inserto (l). S. Ire-
naeus quoslibet suum in resurrectione sexum
servaturos perspicuè insinuat (m).

i Hier. loc. cit.

k Respons. ad
qu. 53. ad Or-
thodoxos.
l Gennad. de
Eccles. Dogm.
c. 43.
m Irenaeus l. 2.
c. 23. & l. 5.
13.

resurgendo assument, cum inter ipsos se-
pissimè unius caro in carnem alterius trans-
migret?

Quae omnia satis evertimus, modò tan-
tum statuatur, resurrectionem inter ea.,
quae à naturalium causarum ordine depen-
dent, minimè esse recensendam. Hoc pla-
nè solius Divinae potestatis est opus (n),
cujus causas & rationem non nisi temerè
& nequicquam indagaremus. Ed tantum
hic intendimus, ut rei veritatem confir-
memus. Ne igitur, inquit Augustinus (o),
de redivivorum corporum naturâ humana
infirmitas dirimere audeat, ne propter ina-
nem inquisitionem Fidei & felicitis resurre-
ctionis meritum deperdat. Novi & Veteris
Testamenti Libri certa futurâ resurrectio-
nis argumenta praefertunt; cuius etiam va-
dimonium & artham Domini, & Lazari,
& Sanctorum, qui unâ cum Christo sur-
rexerunt, resurrectio nobis imperit [p].
Frustrâ igitur contra iis, quae Dei Filius
spondit, & certò constant, difficultates
adstruuntur.

Quamvis autem corporis nostri materia
sive in pulverem, seu cinerem redacta
fuerit, sive per transpirationem erogata,
sive in carnivore belluae, seu barbari ho-
minis substantiam transmigraverit; Deus
eamdem discernet, & corpori, cuius
erit, impertietur. Quòd sanè ut praes-
tetur, neque hominis ope, neque consilio
indiget, casque difficultates, quae nullo
labore nobis superandae videntur, nullo
negotio absorbet. Num qui ex materiâ
alienâ hominem per suum verbum momen-
to creavit, ex propriâ materiâ compactum
restituere non valeat? Particula omnes,
quae à nativitate ad usque mortem corpus
nostrum compegerunt, nobiscum utique
non resurgent; tunc enim magnitudinaria
monstra excitaremur. Id tantummodo no-
bis restituetur, quo, vel quanti in a-
tatis anno trigesimo, vel ante mortem fue-
ramus, venustâ proportione constituamur.
D. Augustinus mortuorum resurrectionem
cum metalli simulacro comparat (q), quòd
contritum & solum veterem sui speciem
omnino deperdit, à fusore iterum con-
flatur, partibusque unâ immixtis in for-
mam priori effigiei consimilem injicitur,
& novum contrito simillimum simulacrum
constituitur.

Sive igitur Deus vel quanti ante mor-
tem fueramus, nos excitare, vel staturam
triginta annorum congruentem nobis im-
pertiri, vel denique aequè omnes ejusdem-
que mensurae nos restituere decreverit; à
quoniam prohiberi potest, ne quod supe-
rest, uni detractum, in alium, cui de-
rat, conferat, & quidquid velit, perficiat
(r)? Ita modificabitur illa in unquo-
que materiae, ut nec aliquid ex ea pereat,
& quod alicui defuerit, ille suppleat, qui
etiam de nihilo potuit, quod voluit, opera-
ri. Huc etiam pertinet fusoris exemplum,
qui ex pluribus simulacris specie & staturâ
inaequalibus, contritis, immixtis, & si-
mul fusis, ejusdem speciei & staturae toti-
dem simulacra constat.

Cuicumque hac de re sententiae adhae-
rea.

n Vide Athe-
nagor. de re-
surrect. mort.
p. 43.
o Aug. ser.
287. n. 13.

p Matth. 27.
52.

q August. En-
chirid. de fide,
spe, & charit.
c. 89. & l. 22.
de Civit. c. 19.

r August. En-
chirid. c. 90.